

simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat, si propterea non credit, quia non audivit omnino quid crederet, sed fortasse ut mitius ardeat. » Agit de ignorantia fidei christianae. Porro lex huius fidei credendae est lex positiva.

Ceterum ne perperam haec Augustini sententia accipiatur, eam breviter declaramus. Scilicet infideles, quibus non est praedicatum Evangelium, non hoc ipso quod Evangelium non audierint, excusantur a damnatione, damnantur autem non quidem propter infidelitatem, sed propter ea peccata quae in infidelitate admisserunt; quae si non commisissent, et gratiae Dei obsecuti fuissent, ad notitiam quoque Fidei pervenissent. Quare ea ignorantia legis Evangelicae quae non est eis praedicata, licet excusare possit a peccato infidelitatis, quod Augustinus non negat, non excusat tamen a damnatione, quod unice Augustinus docet.

V. Ex dictis consequitur naturam, quae creetur sine habitu infuso scientiarum, creari cum aliquo defectu qui est ignorantia, creari tamen cum potestate eum defectum paulatim exuendi; non creari autem cum errore, nec cum necessitate errandi, sed solum cum possibilitate errandi, atque etiam cum quadam pronitate ad errandum in pluribus, ita tamen ut potestas sit antecedens in natura errorem semper vitandi. Hi defectus sunt privatio boni, non quidem debiti tunc, cum natura creatur, sed cum natura vires suas intellectivas exercuerit. Misera proinde dici potest natura ita creata quatenus non est tantum felix quantum esse possit, sed non eo sensu quod aliquo bono sibi debito careat.

VI. Immunitatem ab ignorantia, sive habitum infusum scientiarum esse donum praeternaturale probatur eodem modo ac in Thesi praeced. quoad immunitatem a concupiscentia. Etenim hic cognoscendi modus non est extra ordinem totius naturae, ut patet in Angelis, et eiusdem inchoatio imo et progressio quaedam iam in humana natura continetur, quae actu atque habitu actibus acquisito notitias rerum obtinet.

Thesis XLVI.

Immortalitas tandem, et immunitas a ceteris malis physicis sunt indebitae humanae naturae, donumque praeternaturale.

I. Immortalitas duplex distingui potest cum s. Augustino De Genes. ad lit. L. VI. c. 24. « Aliud est non posse mori, sicut quasdam naturas immortales creavit Deus; aliud est autem posse non mori, secundum quem modum primus creatus est homo immortalis. »

Ut haec altera immortalitas rite intelligatur, advertendum est quod quaedam possibilitas non moriendi competit omnibus viventibus, at ea est remota, neque est illa de qua Augustinus loquitur. Alia est possibilitas non moriendi proxima, in eo posita quod in ipsa natura vivente sive intrinsece tantum, sive etiam extrinsece per media quibus uti potest, adsit ratio sufficiens prohibens semper mortem. Possibilitas non moriendi potest esse absoluta et conditionata. Absoluta est, si non sit alligata ulli conditioni, quae deficere possit et ob cuius defectum et ipsa desinere valeat: conditionata est si alicui conditioni sit alligata, ut hac deficiente et ipsa desinat. Prior est propria beatorum, altera naturae humanae in sui creatione collata est. Hanc quoque donum esse indebitum naturae defendimus.

Sane quod constat spiritu et corpore naturaliter corruptibili, est naturaliter mortale; nam corrupto corpore, et effecto proinde inepto ad opera vitae, cessat necessario unio spiritus cum ipso; unde mors contingit. Quod autem corpus humanum sit naturaliter corruptibile, manifestum est, non tantum quia partibus constat, sed quia naturaliter subest causis physicis, quae vi propria suae naturae possunt elementa, quibus corpus constat, paulatim immutare, et inepta reddere ad functiones organicas, aut etiam possunt violenter momento temporis eius partes dissolvere; neque intrinsece ei suppedit tanta vis, qua contra actionem continuam aut contra vehementem impressionem causarum omnium extrinsecarum semper reniti valeat. Ergo.

Porro nulla est in homine exigentia incorruptibilitatis corporis. Haec enim exigentia fundamentum non habet in ipso corpore, nequit enim corpus exigere id quod est contra leges omnes physicas, quibus ipsum corpus, sicut cetera corpora, subest. Neque fundamentum habet in anima, quae spiritus est et immortalis, et in cuius bonum est corpus; nam eatenus anima incorruptibilitatem corporis exigeret quatenus perennis unio cum corpore necessaria esset ut finem suum ipsa consequeretur; atqui eo ipso quod ea est spiritus immortalis, haec unio perpetua non est ei necessaria pro associatione sui finis. Mortalitas igitur est naturalis defectus hominis, sicut ei naturale est constare corpore organico, obnoxio legibus physicis. Cf. Thomam in II. Dist. 49.

II. Immortalitatem esse indebitam naturae humanae, ideoque gratuito ei conferri Augustinus apertissime docet. De Gen. ad lit. L. VI. c. 25. « Non ait Apostolus: corpus quidem mortale propter peccatum, sed corpus mortuum propter peccatum, illud quidem ante peccatum et mortale secundum aliam, et immortale secundum aliam causam dici poterat: mortale quia poterat mori; immortale quia poterat non mori... quod ei praestabatur de ligno vitae, non de con-

situatione naturae. a quo ligno separatus est cum peccasset, ut posset mori, quia nisi peccasset, posset non mori. Mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio conditoris. Si enim corpus animale, utique mortale. » Quod illustrat quoque exemplis L. I. de pecc. mer. et remis. c. 3. « Si Deus israelitarum vestimentis et calceamentis praestitit quod per tot annos non sunt obtrita, quid mirum si obedienti homini eiusdem potentia praestaretur, ut animale et mortale habens corpus, haberet in eo quemdam statum, quo sine defectu esset annosus, tempore, quo Deus vellet, a mortalitate ad immortalitatem sine media morte venturus? Sicut enim haec ipsa caro, quam nunc habemus, non ideo non est vulnerabilis, quia non est necesse ut vulneretur, sic illa non ideo non fuit mortalis, quia non erat necesse ut moreretur. Talem puto beatitudinem adhuc in corpore animali et mortali etiam illis, qui sine morte hinc translati sunt, fuisse concessam. Nec enim Enoch et Elias per tam longam aetatem senectute marcerunt. »

Idem sentiunt alii Patres, ex quibus hoc sufficiat allegare. Cyrillus. Alex. in Iohn. L. I. c. I. v. 14. « Est homo rationale quidem animal, sed compositum ex anima et hae fragili atque terrena carne. Cum autem factus esset a Deo et ad ortum productus, non habens ex propria natura incorruptibilitatem et immortalitatem (haec enim soli Deo substantialiter insunt) obsignatus est vitae Spiritu. » Damascenus De Fide L. II. c. 30. « Deus ei (Adamo) hanc legem sanxit ne de scientiae ligno gustaret. Hoc porro mandatum ei praescribendo pollicitus est fore, ut, si animae dignitatem ita custodisset, ut victoriam rationi conciliaret, et agnito creatore, praeceptum eius observaret, aeterna beatitudine frueretur, et morte superior evadens in omne aevum viveret. Sin autem... excusso conditoris iugo,... animum corpori subderet... morti et corruptioni fieret obnoxius, miseramque vitam trahens laborandi necessitati subiceret... Opus erat ut homo primum exploraretur, quia vir non probatus nec tentatus nullius pretii est; suoque experimento per praecepti observationem perfectus evadens, sic demum pro virtutis praemio immortalitatem consequeretur. » Gelasius epist. 1. ad Episc. Picens. « Semetipsum passibiles et corruptibiles reddiderant, in tantum conditionis divinae dona violantes ut mortis fuerint poena mulctati. » Athanasius De Incarn. Verbi. n. 5. « Homines sibi ipsi causa mortis exstiterunt; ex natura quidem mortales, sed gratia qua Verbi erant participes, naturae conditionem, si boni permansissent, effugientes. » Lactantius Div. Inst. L. VII. c. 5. « Immortalitas non sequela naturae est, sed merces praemiumque virtutis. »

Doctrinam hanc confirmat damnatio propositionis 78 inter haec

nas. « Immortalitas primi hominis non erat gratiae beneficium, sed naturalis conditio. »

Itaque quod dicit Concilium Araus. II. c. 2. iniustitiam Deo dare qui putat Adamum moriturum, quamvis non peccasset, verissimum est in hypothesi praesentis providentiae, secundum quam scimus Deum creasse hominem immortalem, atque tantummodo ut poenam peccati mortem ei fuisse comminatum. Verissime quoque Augustinus dicit L. XIII. De Civit. Dei c. 13: « ipsam corporis mortem non lege naturae, sed merito inflictam esse peccati; nam lex naturae ad quam Augustinus provocat, est ea secundum quam a Deo homo conditus est. Ex quibus sequitur rectissime colligi posse ex morte, cui homines sunt obnoxii omnes, existentiam alicuius peccati quo universa natura peccaverit.

III. Mala physica sunt eae omnes aerumnae et molestiae, quibus homo obnoxius est tum secundum corpus, quod et in se ipso infirmum est et ab agentibus extrinsecis sive necessariis sive liberis pati potest; tum secundum animum, qui bonorum sibi convenientium privatione laborare potest, ut stupiditate, ignorantia, infamia, odio, defectu amicorum; quique tristitiam, timorem, ceterasque afflictiones experiri potest. Sententia est baianorum malis huiusmodi subesse non posse nisi naturam peccatricem, Deumque iniustum fore, si hominem innocentem his subiceret malis. Quocirca aiunt: malum quodvis aut peccatum est, aut poena peccati. Exigi proinde volunt a natura innocente immunitatem ab his malis. Atqui doctrina est catholica posse naturaliter hominem innocentem obnoxium esse his malis, seu immunitatem ab illis non exigi a natura. Quod quidem multipliciter probatur.

Sane 1) potest homo subiacere naturaliter concupiscentiae, ergo potest etiam naturaliter esse obnoxius malis physicis. Consequentia probatur; quia plura mala animi ex ea naturaliter oriuntur, et quia, si non repugnat naturae innocenti maius malum, nec repugnabunt minora: porro maius est malum pugna illa, quam per concupiscentiam experimur, magisque fastidiosa enti rationali, quam quaevis alia mala physica; nam magis opponitur bono rationis: ergo.

2) Potest homo naturaliter subiacere morti, ergo potest etiam eodem modo pati ea mala quae conditionem mortalitatis comitantur, atque ea quae mala minora sunt quam mors. Huiusmodi sunt omnia ea mala physica, quae ad mortem disponunt, eaque animae tristitiae quae ob morbos, mortem, et privationem eorum quae morte amittuntur, animum occupant; unde cuiuscumque generis aliqua mala nobis sunt naturalia sicut naturalis est mors; sed si ea sunt naturalia, nulla est ratio cur non omnia mala physica, quamvis cum morte

necessario non connexa, non sint naturalia; sunt enim eiusdem rationis.

3) Mala corporea consequuntur naturam hominis subiectum legibus physicis; quo fit ut homo quivis subiciatur activitati causarum materialium, vel earum, quae per causas materiales agere possint. Iam vero in hoc statu homo naturaliter versatur propter corpus, quod est eius pars essentialis. Ergo iis malis naturaliter subiacet, ideoque et iis afflictionibus animi, quae eadem consequuntur. Neque censi potest postulari a natura *innocente* alium ordinem causarum physicarum, in quo causae physicae ita essent dispositae ut ab iis nihil unquam adversi pateretur homo; nam cum ea sit innocencia pure negativa, quae nullum positivum meritum superaddit naturae, nihil amplius exigi potest quam quod per se exigit ipsa natura: at natura hominis, prout est corporea, exigit quidem aliquem ordinem physicum in quo versetur, verum simul indifferens est ad hunc vel illum determinatum ordinem, quemadmodum indifferentes sunt ceterae corporeae naturae. Anima autem rationalis, eo quod naturaliter coniuncta corpori, eius conditionem sequi debet; tantumque id postulat, ut finis sui consecutio ei non impediatur, quam non impediti a quovis malo physico, quod hic patitur, evidens est.

4) Mala physica non sunt absolute mala hominis. Nam cum non privant bono honesto proprio hominis, quod est positum in assecutione finis, et in recta ordinatione hominis in finem per exercitium suarum facultatum; imo mala physica possunt conferre ad bonum honestum hominis, et frequenter conferre magis quam eorum opposita; atque non tantum peccatori, sed et innocenti hanc utilitatem afferre possunt. Nam praeterquam quod per mala physica abstrahitur facilius ab amore rerum sensibilium, et monemur, ut finem nobis debitum unice quaeramus; plurimum et splendidissimarum virtutum exercendarum occasio, iis deficientibus, deesset nobis, quae non nisi in adversis exerceri possunt, neque potestas nobis foret probandi Deo amorem nostrum per patientiam, si malis physicis careremus. Sunt ergo haec mala simpliciter, quia privant aliquo bono; id enim sufficit ut sit aliquid simpliciter malum quod aliquo bono privet: sed non sunt absolute mala; quia etsi privent aliquo bono physico, conferunt tamen ad bonum ethicum, et ita ad consecutionem finis, quae duo sunt potissima hominis bona. Quare sub hoc respectu vocari possunt bona, h. e. media utilia ad finem.

Ergo mala physica sunt per se defectus aliquis consequens humanam naturam, sunt ordinabilia in bonum maximum eiusdem naturae; falsum est igitur malum physicum habere semper rationem poenae, et nonnisi peccatorem ei subici posse.

Errori haiano adversatur Auctoritas Sedis Apostolicae, quae descripsit propositiones 33 et 72 inter baianas. Ea est: « Deus non potuisset ab initio talem creare [hominem] qualis nunc nascitur, » haec est: « Omnes omnino iustorum afflictiones sunt ultiones peccatorum ipsorum: unde et Iob et martyres, quae passi sunt, propter peccata sua passi sunt. »

IV. Accedit auctoritas Patrum. Sententia Patrum hac in re colligi potest ex iis doctrinae capitibus quae subicimus. 1) Negant Patres mala physica esse vere mala. Sed mala ea esse aiunt existimatione, secundum nostrum sensum, et volunt ea esse bona nobis propter hanc rationem, quia nunc conferunt ad salutem (cf. dicta paulo ante sub n. 4). Damasc. De Fide L. IV. c. 20. « Cum dicit Scriptura, Deum creare mala, et non esse in civitate malum, quod non faciat Dominus, non malorum causam Deum esse ostendit; sed quia anceps est nomen mali, duo significans. Nam interdum id quod est natura malum ostendit, quod quidem virtuti contrarium est et divinae voluntati: interdum id quod ad sensum nostrum malum est et laboriosum, ut tribulationes, et immissae calamitates: haec enim existimatione mala sunt, cum dolorosa existant, re autem vera bona sunt; nam conversionis et salutis intelligentibus causa fiunt, et haec per Deum fieri dicit Scriptura. » Chrysost. hom. 8. in c. 4. Tim. « Haec sciens, quatenam sint bona, quae mala, quae media, disce: ut puta bonum virtus, nequitia malum, media vero divitiae, paupertas, vita, mors. Cum ista didiceris, adde quod ideo premanant iusti ut coronentur, peccatores vero ut poenas exolvant. » Origenes hom. 13. in Num. c. 22. « Ob hoc neque diabolus removit a principatu huius saeculi, quia adhuc opus est opera eius. » Ergo mala physica non sunt absolute mala, nec habent necessario rationem poenae.

2) Patres monent ne dum peccatores sed et iustos malis urgeri, finemque Deo dignum declarant cur iustos quoque his malis subiciat. Fulgentius epist. II. ad Gallam. c. 9. « Alia sunt quae sic a Deo temporaliter donantur ut temporaliter auferantur, sicut est... abundantia divitiarum, incolunitas corporum, et si qua sunt similia, quae nec miseros possunt facere homines, nec beatos. Ideo haec et bonis et malis a Domino dantur, et nonnunquam bonis malisque divinitus auferuntur. Beatus fuit Iob quum in divitiis iuste viveret, sed beator, cum in paupertate iustior exstitisset. » Gregorius Magnus in Iob. Praef. c. 9. « Percussionum diversa sunt genera. Alia namque est percussio, quae peccator percuitur, ut sine retractione puniatur, alia qua peccator percuitur, ut corrigatur; alia qua nonnunquam quisque percuitur, non ut praeterita corrigat, sed ne fu-

tura committat; alia quae plerumque percutitur, per quam nec praeterita culpa corrigitur, nec futura prohibetur, sed ut, dum inopinata salus percussione sequitur, salvantis virtus cognita ardentius ametur, cumque innoxius flagellis atteritur, ei per patientiam meritum summa conferatur. » Atque distinctio percussorum in iustos et peccatores, et distinctio finium cur utriusque percutiantur, falsa et absurda foret, si soli peccatores in poenam culpae percipi possent.

3) Patres evincunt existentiam alterius vitae, animique immortalitatem eo quod in hac vita iusti subiciantur aerumnis, miseris iuxta illud Pauli 1. Cor. XV. 49: « Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. » Chrys. Orat. IV. De Provid. « Si nihil est post hanc vitam, neque Deus est. Si Deus est, iustus est; quod si iustus est, pro dignitate retribuet unicuique. » Auctor Recognit. S. Clementis L. III. « Simon dixit: unum est de quo mihi velim satisfieri, an immortalis sit animus... Tum Petrus: quaeramus inquit prius, si iustus est Deus; quod si clarerit, integer profecto religionis ordo constabit... Audi: nonnulli hominum blasphemantes Deum, et omnem vitam suam in voluptate ducentes, in lectulis suis perfuncti sunt, consecuti finem vitae inter suos et honorabilem sepulturam; alii vero Deum colentes, et cum omni iustitia et sobrietate vitam suam in parsimonia conservantes pro iustitiae observantia, in desertis perire, ita ut ne sepultura quidem haberentur digni. Ubi ergo iustitia Dei, si anima immortalis non est, quae vel si impie egerit, poenas in futuro, vel si pie et iuste, praemia consequatur? Et Simon ait: hoc utique est quod nos incredulos facit, quia multi bene agentes male perunt; et rursus multi impie agentes longi temporis cum beatitudine vitam finiunt. Et Petrus: hoc ipsum, inquit, quod te ad incredulitatem trahit, nobis certam fidem facit, quod iudicium erit. Etenim cum certum sit Deum iustum esse, necessarium et consequens est, aliud esse seculum, in quo unusquisque pro meritis recipiens, iustitiam Dei probet. » Atque quod in hac argumentatione supponitur, et quo negato vis omnis argumenti corrueret, est, mala physica non tantum in poenam peccatorum indigi, sed citra culpam quoque hominibus inferri posse. Si enim non nisi in poenam peccatorum suorum subiacerent homines malis physicis, a) quinam sunt isti iusti, qui malis prementur plusquam iniqui? b) quaenam merces iis, qui in hac vita passi sunt? si quis enim passus est aliquid, in poenam peccatorum suorum passus est, et si maxime passus est, idem vehementer peccasse dicendus est.

V. Augustinus non discedit a communi doctrina Patrum. Etenim 1) censet ipse, ut iam vidimus, potuisse esse primordia natu-

ralia hominis ignorantiam et difficultatem: porro qui id censet, dicendus est censere quoque potuisse esse primordia naturalia mala physica; nam haec mala minora sunt illis, et quisque rationis compos, optione data, potius ab illis, quam ab istis exceptionem exposceret.

2) Doctrina est Augustini, cruciatus, afflictiones, aerumnas, animique molestias non esse semper damnationem; iustis quoque incuti, eoque sine ut coronantur, ut a rebus caducis abstrahantur, agone esse in quo certantes et vincentes coronantur, esse exercitationem piorum, esse beneficium Dei, iustos gravia et aspera secundum carnem tolerantes nihil mali pati; si sola haec vita mortalis esset, iniuste his malis offererentur iusti. Ita in sententiis ex Augustino exceptis a Prospero, ut sent. 275. « Labor piorum exercitatio est, non damnatio ». Sent. 99. « Melior est etiam in hoc tempore causa iustorum, qui quanto acrius impetuntur, tanto gloriosius coronantur ». Senten. 186. « Non queratur homo, quando in his quae iuste habet, patitur aliquas adversitates: per amaritudinem enim inferiorum docetur amare meliora, ne viator tendens ad patriam, stabulum pro domo diligit ». Et Epist. CCX. al. 37. n. 4. « Quid ergo non misericorditer praestatur hominibus a Domino Deo, a quo etiam tribulatio beneficium est ». Lib. de Agone Christ. c. 7. « Nec enim nos moveat quod in hac vita secundum carnem, quam portant iusti, multa gravia et aspera tolerant; nihil enim mali patiuntur, quia iam possunt dicere... gloriamur in tribulationibus... Et ideo (mala huius vitae) bonis nihil nocent; quia hoc eis auferunt, quod non diligunt; nam quod diligunt, et unde beati sunt, auferre illis nemo potest. Cruciatibus vero corporis malas animas miserabiliter affligit, bonas autem fortiter purgat ». Lib. LXXXIII qq. q. 82. « Nulla causa probabiliter occurrit cur iusti homines laborent plerumque in hac vita, nisi quia hoc eis expedit. Ille potest dicere iniuste ista (iustos saepe graves molestias secundum hanc vitam pati) fieri, qui solam vitam mortalem, quam nunc agimus, esse existimans, quae divinitus praedicta sunt futura non credit ». Iam vero haec omnino adversantur illi doctrinae, quod tantum in poenam peccatorum inferri possit mala physica. Specialim autem adversatur quod ultimo loco positum est: fac enim omne malum indigi propter peccatum admissum: in hac hypothesis falsum est dicendum quod Augustinus asserit: si sola est vita mortalis, dici posse quod iniuste agatur cum bonis; nam si mala patiuntur, ideo patiuntur quia peccarunt, ut compensetur supplicio peccatum; esset ergo etiam in ea hypothesis iustitiae locus.

VI. Respondent haeni haec quidem valere in hominibus adultis

qui utilitatem aliquam capere possunt ex malis, quae patiuntur, non autem valere in infantibus, qui fructum nullum percipere possunt ex iis malis. Ita vero accipiendam esse Augustini doctrinam, qui quamvis concedat posse adultos propter rationes supra memoratas plecti malis, negat tamen posse infantes si innocentes sint, quia mala haec in iis non nisi poenae rationem habent, quae innocenti repugnat. Epist. CLXVI. al. 28. c. 6. n. 16. ad Hieronym. « Tantorum malorum, quae fiunt in parvulis, causa iusta dicitur. Nempe cum maiores ista patiuntur, solemus dicere aut, sicut in Job, merita examinari, aut, sicut in Herode, peccata puniri. De parvulis autem quid respondeamus edisserere, si poenis tantis nulla sunt in eis puniendi peccata. Nam utique nulla est in illis aetatibus examinanda iustitia ». Restat proinde iuxta Augustinum naturam innocentem affligi malis non posse, saltem eam quae rationum non est compos, liberoque arbitrio uti adhuc non valet.

Atqui 1) pugnancia dicunt haiani. Iansenius enim De statu prae naturae L. III, c. 17. docet disertè « nullum quaecumque malum inferri a Deo posse creaturae rationali sine culpa ». At c. 19. pressus Augustini testimonio concedit iustos adultos aliquid huiusmodi poenalem molestiarum sine sua culpa pati posse, propter magnos et utilissimos fructus qui ex iis dimanare possunt. Quae certe non cohaerent. 2) Augustinus concedit etiam infantibus in eam mala posse. Docet id in L. III. De lib. arb. cont. Manichaeos c. 23. Verum, aiunt, id reprobat postea in Epistola citata ad Hieronymum. Referens enim eam partem disputationis ex L. III. De lib. arbit. c. 23, eam improbat ut invalidam et infirmam, sic scribens in citata epistola c. 7. n. 18. « Ego quidem non de ingenis, sed saltem de poenis parvulorum, quas in hac vita patiuntur, dixi aliquid in libris illis de libero arbitrio. Quod quale sit, et cur mihi in istam quam habemus in manibus quaestionem non sufficiat, intinabo, et eum ipsum de tertio libro locum deceptum his literis inseram. Nam ita se habet. De cruciatibus corporis, quibus affliguntur parvuli, quorum per aetatem nulla peccata sunt, si animae quibus animantur non, priusquam ipsi homines, esse ceperunt, maior querela et quasi misericordiae deprohi solet, cum dicitur: quid mali fecerunt ut ista patienter? quasi possit esse meritum innocentiae antequam quisquam nocere aliquid possit. Cum autem boni aliquid operatur Deus in emendatione maiorum, cum parvulorum suorum, qui eis cari sunt, doloribus ac mortibus flagellantur, cur ista non fiant, quando cum transierint pro non factis erunt in quibus facta sunt. Propter quos autem facta sunt, aut meliores erunt, si temporalibus incommodis emendati rectius elegerint vivere, aut excusationem in futuri iudicii

supplicio non habebunt, si vitae huius angoribus ad aeternae vitae desiderium se convertere noluerint. Quis autem novit, quid parvulis, de quorum cruciatibus duritia maiorum contunditur, aut exercetur fides, aut misericordia probatur; quis, inquam, ergo novit quid ipsis parvulis in secreto iudiciorum suorum honae compensationis reservet Deus? Quoniam quamquam nihil recte fecerint, tamen nec peccantes aliquid ista perpessi sunt. Non enim frustra etiam infantes illos, qui, cum D. N. I. C. necandus ab Herode quaereretur, occisi sunt, in honorem martyrum receptos commendat Ecclesia. Haec tunc dixi, cum hanc ipsam, de qua nunc agitur vellem communire sententiam. Sicut enim paulo ante commemoravi, quaecumque illarum de animae incarnatione quatuor opinionum vera esset, inculpata substantiam creatoris, et a nostrorum peccatorum societate remotissimam nitebar ostendere. Et ideo quaecumque illarum veritate posset convinci, aut repudiari, ad curam intentionis meae, quam tunc habebam, non pertinebat... Nunc vero unam volo, si possum, ratione recta eligere ex omnibus: et propterea huius ipsius, de qua nunc agimus, defensionem in iis quae commemoravi de illo libro verbis meis attentius intuens, validam firmanque non video. Nam velut firmamentum ejus illud est quod ibi dixi: quis autem novit quid parvulis... in secreto iudiciorum suorum bonae compensationis reservet Deus; quoniam quamquam nihil recte fecerint, tamen nec peccantes aliquid ista perpessi sunt. Sed hoc non immerito dici video de iis qui vel pro Christi nomine aut vera religione tale aliquid etiam nescientes patiuntur, vel Sacramento Christi iam imbuti sunt, quia sine societate unius mediatoris liberari a damnatione non possunt, ut possit eis etiam pro illis malis, quae hic in diversis afflictionibus pertulerunt, compensatio ista praestari. Nunc autem cum ista quaestio non possit absolvi nisi etiam de iis parvulis respondeatur, qui post gravissimos cruciatus sine sacramento Christianae Societatis expirant, quae circa eas compensatio cogitanda est, quibus insuper et damnatio praeparata est? »

Respondent Theologi catholici non reprobari simpliciter ab Augustino quod contra manichaeos affirmaverat, sed tantum eam responsum videri sibi insufficientem in quaestione contra Pelagianos. Quae Theologorum responsio, licet forte non adaequata, in se tamen verissima est, et optime probatur. Sane 1) eam responsum eam se allatam contra manichaeos probavit in libro de bono perseverantiae (quod unum est ex ultimis suis operibus) c. 12. his verbis: « Sicut autem nunc, ut ostenderem gratiam Dei non secundum merita nostra dari, secundum utrumque sensum hoc defendere malui, et secundum nostrum scilicet qui obstrictos peccato originali parvulos dici-

mus, et secundum pelagianorum, qui originale negant peccatum (1); nec tamen ideo mihi est ambigendum habere parvulos quid eis dimittat qui salvum facit populum suum a peccatis eorum; ita et in 3. libro de lib. arb. secundum utrumque sensum resitit manichaeis sive supplicia, sive primordia sint ignorantia et difficultas, sine quibus nullus homo nascitur; et tamen unum eorum teneo...

Nam contra quos mea dirigebatur intentio, sic mihi visi sunt refellendi, ut sive poena esset peccati originalis in parvulis, quod veritas habet, sive non esset, quod nonnulli errantes opinantur, nullo modo tamen, quam manichaeorum error inducit, duarum naturarum, boni scilicet et mali permixtio crederetur. »

2) Si reprobasset eam responsonem, id profecto fecisset in Retractionibus: at ibi L. I. c. 9. expendens eandem disputationem cum manichaeis, ne dum non improbat, sed rursus confirmat, ut videre est ex eius verbis allatis Th. XLIV, n. IX.

3) Absurdum esse cogitare putasse Augustinum posse hominem adultum esse, quamvis innocentem, passibilem, ut ipse Iansenius concedit, infantem vero passibilem esse non posse. Cuiusmodi monstrum hominis excogitavit Augustinus, ut corpus infantis impassibile foret, evigilante vero ratione, passibile evaderet? An alia est natura infantis et adulti? an saltem perfectior est existendi modus in infantia quam in adulta aetate? Haec portentosa ab Augustini mente alienissima esse debuerunt.

4) Ratio cur sibi insufficientis in epist. ad Hieron. ea responso videbatur est quia responso illi difficultati in quaestione cum pelagianis danda est in hypothesi praesentis providentiae, quam Scriptura testatur, dum in quaestione contra manichaeos ab ea hypothesi abstractio fiebat. Iam vero facta praecisione ab hac hypothesi, potuit Augustinus respondere manichaeis, Deum bonam compensationem reservare parvulis in aliera vita cum nihil peccaverint; nam, ut paulo ante contra obiectionem ex morte parvulorum responderat: « metendum non est ne vita esse potuerit media quaedam inter recte factum atque peccatum, et sententia iudicis media esse non possit inter praemium atque supplicium. » Scilicet praecisione facta

(1) Ne suspiceris haec adversari ei quod diximus Augustinum in quaestione cum pelagianis supponere eam providentiam quam Scripturae testantur; nam ea verba referuntur ad immediate praecedentia, in quibus Augustinus ostendit quod etsi parvuli careant peccato originali, tamen iis qui post baptismum et iis qui ante baptismum decessunt sine ullis eorum meritis et regnum caelorum datur prioribus et negatur posterioribus. Quare et ipsi pelagiani fateri debent gratiam non secundum merita nostra dari.

a praesenti providentia, respondet Augustinus manichaeis posse esso statum quemdam felicitatis etiam pro parvulis, qui nihil peccaverunt, in quo proinde Deus eos compensare valeat pro iis quoque quae hic passi sunt. At quoniam in quaestione contra pelagianos standum erat in hypothesi praesentis providentiae, et defendenda veritas peccati originalis, ex quibus consequitur nullum esse statum medium, sed aut gloriam aut damnationem, parvulos vero non baptizatos aut martyrio non affectos salvari non posse; hinc ea responso, quam dederat manichaeis (quis novit quid parvulis in secreto iudiciorum suorum bonae compensationis reservet Deus?) non poterat sufficiens videri Augustino. Hunc esse sensum verborum Augustini liquet ex iis ipsis, quae in testimonio supra recitato profert Augustinus rationem reddens cur ea responso valida et firma ei non videatur. Hinc factum est ut solum contra pelagianos, numquam contra manichaeos, cum fiebat praecisio ab hypothesi praesentis providentiae, qui est status quaestionis nostrae cum baianis, insufficientem esse eam responsonem dixerit.

Diximus forte non esse adaequatam responsonem: nam adhuc quaedam superest difficultas ex verbis Augustini. Ex eius enim disputatione liquet censere Augustinum quod aliqua compensatio debeatur parvulis pro poenis, quas in hac vita patiuntur; quae compensatio in praesenti ordine est aeterna salus, si baptizati aut martyres decessunt: in hypothesi vero alterius ordinis potuerit esse status quidam medius inter praemium et supplicium, ut Augustinus respondet manichaeis. Si autem aliqua compensatio parvulis debetur pro poenis seu malis, quae patiuntur; ergo non possunt parvuli subici ei malis, cum nulla eos expectat compensatio, quemadmodum reapse contingit in praesenti ordine, cum sine baptismo decessunt.

Respondemus distinguendo: vel enim quaestio est de ipsa re vel de mente Augustini. Si de ipsa re quaestio est, dicimus nullam compensationem requiri, quia nullum est meritum, et ea mala sunt naturales consecutiones status infantiae, qui naturalis et ipse est. Si vero de mente Augustini quaestio moveatur, dicimus 1) quod Augustinus nunquam affirmat absolute compensationem aliquam pro huiusmodi poenis deberi, sed solum hypothetice loquitur, ut rationem afferat qua suadeatur Deum non iniuste agere cum infantibus; hanc tamen responsonem ita profert, ut significet se non excludere alias, si quae sunt meliores responsones, quae a compensatione praescindunt. 2) Augustinus ipse significat se non magni facere hanc difficultatem petitam contra iustitiam Dei ex poenis parvulorum, eamque contemni posse; ita enim subdit in epist. cit. ad

Hieronym. « Sed ut omittamus et contemnamus ea, quae brevi tempore (infantes) patiuntur, nec transacta revocantur; nunquid similiter contemere possumus quod per unum hominem mors, et per unum hominem resurrectio mortuorum? » scilicet infantes non baptizatos aeternum damnari. Ex quibus colligere licet responsonem illam Augustini ad obiectionem quam contra iustitiam Dei manichaei urgebant ex poenis parvulorum, responsonem nempe in eo positam quod forte aliqua compensatio eis est reservata, non fuisse responsonem necessariam ac si ea obiecio valorem contra iustitiam Dei vere haberet, sed ex abundantia datam; quia satis evidens est in huiusmodi malis naturalibus nullam iniustitiam Dei habere locum, nec postulari posse ut alio modo infantes existant ac adulti (Cf. quod diximus sub n. 3). Ergo saltem nihil definiti in hac quaestione de poenis parvulorum ex Augustino habemus 3. Quidquid hac in re Augustinus peculiariter opinatus sit, opus non est eius sententiam amplecti: eam enim Augustini doctrinam sequimur, quae sigillo communis Ecclesiae sensus obsignata est.

Mirari vero subit asequi non posse bajanos cur infantes innocentes subiciantur malis huius vitae. Id enim postulat conditio naturalis eorum corporum, nec miracula facienda sunt, ut leges physicae in eorum gratiam mutentur. Nonne homines adulti vel innocentes possunt habere corpus passibile? natura ergo postulat ut passibiles etiam nascantur, non enim est alia natura infantis et adulti. Miseria est ergo quaedam naturalis, cuius tamen exemptio debita non est.

In hypothesi illius instituti ordinis providentiae, quem Scriptura testatur, arguit certe auctor Hypogost. L. V, qui peccatum originale probans ex morte parvulorum, allato testimonio ad Rom. V. 12. per peccatum mors, subdit: « ac per hoc secundum errorem vestrum iniquus Deus, ut mori parvulum patiatur non habentem peccatum per quod possit vita privari... Respondetis: Absit, Deus peccatum non fecit. Ergo occasione peccandi homini tribuit, ut opus eius, sicut dicitis, mors homini posset contingere. Sine peccato namque mors esse non poterat, quia, velitis nolitis, per peccatum mors. » Respondebant porro, non occasione Deum peccandi homini dedisse, sed solum fecisse mortalem: subdit: « iam responsum est, Deus mortem non fecit; Deus creavit hominem inextinguibilem etc. »

Itaque divinae providentiae ratio postulat ut huiusmodi malis natura humana in suo statu relicta subiciatur; neque divina iustitia, aut lex aeterna, quae vetant a poena praeverti peccata, postulant ut his miseris, quae poenae propriae non sunt, sed naturales defe-

ctus, eximantur homines; neque crudelis Deus censendus est, si nulla promissione, qua se obstrinxerit, intercedente, sinit homines ea pati quibus ex natura sua sunt obnoxii, praesertim cum plurima bona ex horum malorum perpensione elici possint.

Scholion. Monitum haec tradimus, quod tamen valere volumus etiam pro Thesibus praecedentibus, in quibus de sententia Augustini disputavimus. Nimirum difficultates, quas e doctrina Augustini depromunt Bajani, solvimus ostendentes eandem esse reapse sententiam Augustini ac Theologorum catholicorum, eosque Augustinum calumniari qui in sententiam alienam trahere eum vellent. Id autem effecimus ponentes ob oculos certissimam, et universalissimam doctrinam Augustini capita, ac certissima, quibus ea munit, argumenta, quae sicut nostram tumentur, ita et bajanam sententiam sine dubio profligant. Id nobis satis esse arbitramur. Nolumus exigi, ut propositionis omnis, argumentationis, verbi, aut dicti, quae Augustino exciderint, eorum a nobis ratio eaque evidens reddatur. An id fieri possit non disputamus: negamus autem id iure quemvis postulare posse a Theologo, qui profletur doctrinam se catholicam distare Augustinianam explicare et tueri, qui novit maximo intervallo distare scripta cuiusque Patris a scriptis inspiratis; cum praesertim si qua minus identidem recte dicta occurrerent in Augustini scriptis, quod certe non repugnat, neque eius certam aliunde doctrinam in dubium vocare possent, multoque minus doctrinae catholicae periculum illum creare.

Thesis XLVII.

Ex hactenus demonstratis sponte consequitur statum purae naturae possibilem esse.

I. Pura natura dicitur quae id habet et omne et solum, quod ipsi debetur. Eius ergo notio duobus absolvitur, quorum alterum est negans, alterum affirmans. Negans est exclusio eorum omnium quae ad naturae constitutionem non spectant, et eorum quae non exiguntur ab eadem ne frustra sit, cuiusmodi sunt gratia sanctificans, atque destinatio ad ipsam, finis supremus in visione Dei consistens, caritas ceteraque virtutes infusae, auxilium gratiae, immunitas a concupiscentia, immortalitas, et immunitas a malis physicis. Item ad negans elementum spectat exclusio peccati, quod a propria voluntate non oriatur et quo quis inquinatus reperitur simul ac existit. Affirmans est existentia omnium proprietatum et facultatum quibus animal rationale absolvitur, cum iis omnibus quae necessaria sunt ut facultates ipsius valeant exerceri, cuiusmodi sunt

finis naturae proportionatus, Dei concursus, et similia. Homo naturam ita sortitus dicitur esse in statu purae naturae.

II. Iam vero Baiani acerrime negant possibilitatem purae naturae: Catholici generatim affirmant. Diximus *generatim*, nam quidam inter catholicos e familia Augustinianensium negant possibilitatem status purae naturae, non tamen secundum sensum Baii, ut ipsi protestantur, et cum non paucis limitationibus. Hi enim censent « nullam cum damnatis Baii et Quesnelli propositionibus affinitatem habere sententiam illorum theologorum, qui affirmant non potuisse a Deo condi naturam integram omni supernaturali auxilio expoliatam, non ex parte ipsius naturae, quasi gratia foret huius pars aut proprietas, vel quasi eadem gratia a conditione naturae, tanquam a principio efficiente manaret, vel demum quasi ipsamet gratia pertineret ad naturalem constitutionem, atque naturae esset proportionata; sed ut creatura rationalis, ad imaginem Dei condita et supernae beatitudinis capax, ad hanc, quam promereri et accipere nequaquam poterat naturalibus arbitrii viribus, posset superadditis divinarum gratiarum donis pertingere ». Ita pro omnibus Laurentius Berti in Augustiniano systemate vindicato Diss. II, c. 4. §. 5. Affirmant ipsi idcirco « neminem, salva aequitate, posse Baianismi damnari, si defendat creaturae rationali inesse naturaliter appetitum innatum ad ipsam visionem Dei intuitivam ». Ibid. §. 6. quod auctoritate plurimum theologorum, qui tum ante tum post tridentinum Synodum floruerunt confirmant ibid. Negant talem speciatim damnatum esse in Baii sententiam eorum, qui tradunt non posse hominem (ulique innocentem) condi cum perduelli concupiscentia, quae legi mentis adversatur, docent quippe hanc suapte natura malam esse, nec potuisse Deum cum hac eadem concupiscentia homines condere, quin eis saltem auxilium aliquid impertiretur, ne absque culpa illius motibus cederent et succumberent. Ibid. §. 7. Negant pariter idem « potuisse hominem condi obnoxium morti, non quod immortalitas primi hominis naturalis fuerit, atque ex principis naturae integrae manans, prout Baius dogmatizavit, sed quoniam creans Deus hominem spiritualem simul atque corporeum, aptavit materiae, quae suapte natura solubilis est et causa mortis et corruptionis, animam incorruptibilem atque immortalem; haec autem producta ut sit forma corporis, appetit naturaliter eiusdem corporis unionem, et a corpore divisa est in statu quodam violento, atque suae naturae contrario... congruum proinde erat ut divina providentia corpori supra exigentiam corporeae naturae tribueret immortalitatem atque incorruptionem ». Ibid. §. 8. Addunt idem videri sibi, si admittatur possibilis status purae naturae, ex concupiscentia et ex morte non recte ad-

versus pelagianos demonstrari peccatum originale: quum tamen certissimum sit his potissimum armis S. P. Augustinum refutasse haeresim pelagianam, quod ipsa concupiscentia, ipsa mors sint poena peccati, non autem rationalis creaturae ad imaginem Dei conditae naturales proprietates ». Ibid. §. 8.

III. Quaestio duplex fieri potest, 1. an theologice demonstrari possit falsitas huius doctrinae hoc pacto negantis possibilitatem status purae naturae: 2. an doctrina haec negans huiusmodi possibilitatem fuerit iam ab Ecclesia explicitè damnata. Priori quaestioni respondemus affirmative, cuius responsionis ratio ex dictis hactenus manifesta est. Sane a) si naturalis est appetitus innatus hominis ad visionem Dei intuitivam, haec dicenda est ei naturalis, et ideoque naturalia etiam media necessaria ad illam, cuiusmodi est gratia sanctificans. Neque enim, ut hi videntur arbitrari, naturale est tantum id quod ad constitutionem naturae spectat aut ab ea efficienter promanat, sed etiam quod ab ea exigitur ne frustra sit: quis enim negabit lucem esse naturalem oculo, cibum animali, finem aliquem ultimum consequendum homini, concursum Dei causis creatis, et huiusmodi? quae tamen nec naturam constituunt, nec ab ea efficienter promanant. Porro quod appetitui innato naturaliter appetitur, dicendum est esse naturae appetentis proportionatum: iste enim appetitus non est nisi ordo quidam necessarius naturae ad certum finem, qui ordo in ipsa natura rationem sui habet; sed hoc existente ordine nequit non esse proportionatum naturae id quod ipsa appetitu innato appetit. Quamvis vero quidam theologi affirmaverint appetitum innatum visionis Dei, hancque naturalem esse quoad appetitum, non quoad consecutionem; tamen appetitus nomine non exigentiam sed capacitatem intelligebant, censebantque Deum exigentiae naturae potuisse facere satis alio quoque inferiore fine praestituto, ita ut idcirco status purae naturae fuerit possibilis (Th. XI). Itaque si certum est gratiam sanctificantem, adoptionem divinam, quae est ipsa humanae naturae sublimatio et exaltatio in consortium divinae naturae, esse naturae indebitam seu supernaturalem (prop. 21. Bai), nequit ullus esse appetitus innatus ad terminum huius adoptionis, qui est visio intuitiva Dei, nec potest esse naturalis destinatio ad illam, ut recte argumentatur Suarez (cf. Th. citatam et Th. XLIII). E contrario si auxilia, quibus homo disponitur ad promerendam et acquirendam visionem intuitivam Dei, dicuntur supernaturalia, supernaturalis quoque et nulli appetitui innato respondens dicenda est eadem visio. Non cohaerent sibi videlicet partes huius systematis, et abusus fit verborum.

Quod spectat ad concupiscentiam, iam demonstravimus (Th. XLIV)

eam non esse formaliter malam in ordine morali, licet malum sit ei libere consentire, neque necessario impellere ad malum; eamque naturaliter sequi ex natura hominis, qui non solum rationalis est, sed et sensitivus: eiusque immunitatem esse gratuitam. Hi tamen auctores non negant simpliciter potuisse cond. hominem innocentem concupiscentiae obnoxium, sed vel id negant, vel saltem, si talis homo conderetur, negant ei potuisse negari auxilia opportuna ad resistendum concupiscentiae, quae auxilia censentur esse supernaturalia. Illud quidem concedi potest: sed negamus auxilia huiusmodi non potuisse esse nisi supernaturalia. Nam in ordine quoque naturae locus esset auxiliis divinis; ea enim, quae neque ad bonum supernaturale neque praeternaturale proveherent hominem, sed tantum ad consecutionem boni naturalis, forent auxilia naturalia, quae tum praesertim conferrentur, cum homo citra culpam reperiretur in maxima difficultate vel morali impossibilitate recte agendi: aequum est enim ut consecutio finis et evitatio aeternae poenae sit homini non solum physice sed et moraliter possibilis. Quae auxilia tum extrinseca sita e. g. in remotione impedimentorum et occursu opportunorum obiectorum, tum intrinseca sita in excitatione naturalis cuiusdam cognitionis in intellectu et affectionis in voluntate, quibus suadeatur homo et afficiatur ad honestum, haberi possent (cf. dicta in Th. XLIII, n. IX. ad 2. d. et quae dicemus in Tract. de Gratia c. II). Licet vero eadem auxilia debita naturae forent ne moraliter impossibilis evaderet consentio finis, gratuita tamen semper esset collatio eorum auxiliorum, quae ita congruenter essent aditus ut bonus actus infallibiliter consequeretur. Si ergo id tantum isti auctores contendunt, etsi non verbis, re tamen consentimus. Quod vero spectat ad immortalitatem, quamvis dicatur ea indebita naturae corporeae et ideo non naturalis, si tamen asseritur debita animae, asserenda est quoque debita naturae humanae, cuius pars essentialis est anima, et ideo simpliciter fuisset naturalis primi hominis conditio immortalitas, quod cum doctrina revelata haud cohaeret (Th. XLVI).

Augustinus quidem alicui Patres et Scriptores ecclesiastici probant peccatum originale ex existente concupiscentia atque mortalitate: verum advertenda sunt tria. 1. quod per se rebus spectatis, fieri potest et non raro contingit quod Patres in asserendis dogmatis fidei, praeter argumenta demonstrativa, utantur etiam probabilibus tantum: 2. Augustinum reapse et cum eo alios arguere hypothese facta praesentis instituti ordinis: arguentur enim ex testificatione Scripturarum, etsi deinde eiusdem institutionis convenientiam ostendant, non tamen necessitatem, ut demonstravimus in Th. XLIV. 3. Doctrinam ab Ecclesia propositam praef-

rendam semper esse doctrinae cuiuslibet vel doctissimi Patris aut Doctoris. Si haec teneas, affirmabis quidem cum s. Thoma posse ex huiusmodi malis, quibus subest humana natura, probabiliter suaderi peccatum quoddam totius naturae, quemadmodum ostendi potest probabile esse quod Deus hominem condiderit immunem a concupiscentia et immortalate (Th. XLIV.); non vero id certa demonstratione evinci posse.

Itaque theologicæ certa est possibilitas status purae naturae.

Ut aliam quaestionem agamus: an scilicet quod status purae naturae possibilis simpliciter fuerit, sit veritas definita; advertimus definitum esse sublimationem et exaltationem humanae naturae in consortium divinae naturae, quod aliud non est quam divina adoptio, cuius terminus et complementum est visio beatifica, indebitam fuisse et supernaturalem integritati primae conditionis (inter proposs. Baii 21), ac felicitatem, quam consecutus esset primus homo, si non peccasset, quae est ipsa visio beatifica, futuram fuisse non tantum mercedem sed et gratiam (prop. 3), gratiamque Adami non fuisse sequelam creationis debitamque naturae sanae et integrae (inter proposs. Quesnelli 35): seu statum felicitis innocentiae complectentem non modo integritatem, sed et iustitiam interiorum cum impulsu in Deum per amorem caritatis atque primae sanctitatem aliqua ratione post lapsum restitutam, non fuisse sequelam creationis, debitumque ex naturali exigentia, et conditione humanae naturae, sed gratuitum Dei beneficium (inter proposs. Synodi Pistor. 16). Definitum pariter est Deum potuisse ab initio talem creare hominem qualis nunc nascitur, utique excepto peccato, quod constat a Deo nullo modo esse posse (Bai. 35), atque integritatem (quae iuxta Scholasticorum loquendi rationem immunitatem a concupiscentia cum immortalitate significabat) primae creationis fuisse indebitam humanae naturae exaltationem (ibid. 26). Definitum est immortalitatem primi hominis fuisse gratiae beneficium, non naturalem conditionem (ibid. 78); mortemque, quae in praesenti statu poena est peccati, fuisse naturalem hominis conditionem, et immortalitatem gratiae beneficium (Syn. Pistor. 17). Haec certe teneri nequeunt, nisi simul teneatur possibilitas status purae naturae. Attamen quia auctores, quibuscum agimus, explicite fatentur haec dona gratuita esse et supernaturalia, licet in modo explicandi discedant a communi Doctorum sententia, qui modo explicandi ab Ecclesia reprobatus non est, etsi theologicè defendi nequeat, nolumus ullam censuram notam eorum doctrinae inurere.

Consuli possunt circa hanc universam quaestionem toto hoc capite pertractatam Casimirus in opere: *Quid est homo?* Faure in Enchiridion S. Augustini, et praecipue Martinez de Ripalda contra Baium L. 1.